



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 57. Rex Taurinum veniens, Helvetios ad fœdus sollicitat

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

sequendi aviditatem multum remisit, suo-  
 que Nepoti Laurentio Medicæo, Pon-  
 tificias copias Helvetiis juncturo præcepit,  
 ut ab urbibus, quas Padus alluit, haud  
 longerecederet, & Bononiæ, si forte Ben-  
 tivolli (ut Leo verebatur) eam occu-  
 pare tentarent, proximus adesset. Li-  
 teras etiam ad Sabaudia Ducem dabat  
 Pontifex, quibus se Regi Christianissimo  
 conciliari postulabat, nec Sabaudus pa-  
 cis conciliatorem agere recusabat; ve-  
 rum illi, quos Franciscus I. a consiliis habe-  
 bat, summum Pontificem compellere au-  
 debant, ut cuncta, quæ Julius II, ejus  
 Prædecessor in Mediolanensi ditio-  
 ne occupasset, ceterisque omnibus Gallia Fœ-  
 deratis eripuisset, restitueret, hancque in  
 rem Galli auro corruperunt Bibiennam  
 Leonis clientem, cujus etiam opportunis  
 precibus Papa cessisset, nisi Julius Medi-  
 cæus ejus Patruelis omnibus viribus ob-  
 stitisset, illumque induxisset, ut tam du-  
 ræ conditionis acceptationem ad extre-  
 mæ necessitatis eventum reservaret.

## §. LVII.

*Rex Taurinum veniens, Helvetios ad  
 fœdus sollicitat.*

Interea vero Gallorum exercitus conti-  
 nuo propius accedebat, Rexque relicto  
 monte S. Pauli Cuneum venit, ibidem

F 3

per-

æcul. XVI.  
 A. C. 1515.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1515.

pernoctaturus, inde vero Carmanoliam, ac denique ad Montem Calerium contendit, atque urbem ingressus est, ubi a Sabaudia Duce exceptus, Taurinum deducebatur, ibidemque collatis consiliis Helvetios oblata pecuniarum summa ad Gallorum partes, reditumque in patriam sollicitare decernebat: Nunciabatur enim Regi, quod crebra inter eos diffidia ferverent, ac Cardinalis Sedunensis cum Alberto de Petra Tribuno, ac inter Helvetiorum Belliduces præcipuo tam acres suscepisset inimicitias, ut hic viginti quinque legiones, quas ab exercitu abstraxerat, Bernam reduceret. Rex Helvetiorum animos inter se discordes facilius ad sua vota inclinandos existimabat, augebatque sancienti foederis fiduciam Alexandrinorum, & Tortonensium facilitas, qua utriusque urbis cives ad Aymarum de Prie exscensione in Genuensi portu facta excipiendum paratos sese exhibebant, quo nuncio Sedunensis Cardinalis haud parum territus, consilii inops hæsit, ignarus, quo loco Pontificis copiae, quas inquirebat, subsisterent, ne autem forte in hac incertitudine quid sinistri tentaret, haud immerito verebatur: Igitur Galliarum Rex hac rerum vicissitudine opportune utendum ratus Vercellas contendit, atque Aymaro datis literis significari iussit, impostero a deo

adeo non Helvetici exercitus conjunctionem ab eo impediendam, ut illam etiam promoveret, fore enim, ut simul juncti citius suos Legatos Vercellas decernerent, ac una omnes de pace agerent; quin imo Rex hanc in rem Helvetiis necessarias securitatis literas dedit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1515.

## §. LVIII.

*Helvetii ad concordiam proni.*

Cuncta proximam pacem polliceri videbantur: Sabaudia enim Dux individuus Regis comes identidem ejus aures pulsabat, exponens, quod præstaret certam pacem amplecti, quam victoriam blandientis etiam fortunæ arbitrio mere relictam sperare. Interea Pontificis Regisque Catholici exercitus accurrere negligebant, cumque ambo Principes quinquaginta aureorum millia ad singulos menses promissa Helvetiis nondum numerassent, hi seditione mota Pontificium castrensis ærarii Præfectum spoliaverunt, ac quamplurimi eorum ad sua revertebantur, Cardinale Sedunensi nequicquam suadente, ut neglecto etiam stipendio ad pugnam provolarent. Accessit etiam fortunæ præter morem constantis prosperitas, qua Franciscus Rex Navarram urbem Helvetiis inderecedentibus confestim suæ subjecit potestati.

Guic. l. 12.  
Paul. Jov.  
l. 15.

F 4

§. LIX.